

41.711.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

HEPATIS IN- FLAMMATIONE VE-

RA RARISSIMA, SPURIA
FREQUENTIS-

SIMA,

QUAM

ADNUENTE DIVINI NUMINIS GRATIA,
IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,

COLLEGII MEDICI DECANO ET SENIORE,

P R O L I C E N T I A

D. FEBRUAR. M DCC XXI.

IN AUDITORIO MAJORI
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS

Publicæ Eruditorum Disquisitioni exponet

CHRISTIAN AUGUSTIN GEBHARD,

ZITTAVIENSIS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO RECURSUS MEDICA

HEPATIS IN
FLAMMATIONE VE-
RA RARISSIMA, SPURIA
FREQUENTIS

SPURIA

OPINIO

AD HANC THESE DIGNI NUMINI GRATIA
IN THEATRO ACADEMIAE FRIDERICIANAE
HABITA

PRÆSIDE

DR. HENRICO HOFFMANNO

COLLEGIUM MEDICUM NO. 11 SENIORUM

PROLOCUTORIA

D. FEBRUARII MDCCLXXI

IN AULICO PALATIO

IN THEATRO FRIDERICIANO

HAEC LECTIO DISSENTIENS EXPOSITA

CHRISTIANO AUGUSTINO GERHARDO

ALUMNO

MAJORE MEDICINAE

DR. CHRISTIANO HENCKELII, AUL. TYPOG.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE
HEPATIS INFLAMMATIONE
VERA RARISSIMA,
SPURIA FREQUEN-
TISSIMA.

PROOEMIUM.



Sullum universi corporis humani viscus permultis & gravibus morbosis affectionibus patet atque obnoxium est, certe inter viscera amplissimum hepar esse & ipsa praxis medica & consensus medicorum tum veterum tum recentiorum peritissimorum id confirmat. Ita nullus fere ex chronicis oritur morbus, ubi non labem vel vitium hoc viscus

A 2

patia-

patiatur. Cachexia, scorbutus, atrophia, icteritia tam alba, quam flava & nigra, leucophlegmatia, hydrops, atque ex intermittentibus quartana potissimum suam sedem atque domicilium fixum in hoc viscere male affecto habent & subinde quoque in aliis & remotioribus partibus suborti morbi, ut nimius & inordinatus hæmorrhoidum fluxus, ingens stillicidium narium, fluxus hepaticus, diarrhææ quoque non infrequenter a vitio in hepate existente deriuandæ sunt. Nam intercepto libero sanguinis & lymphæ per hepar infarctum aut obstructum circulo, sanguis in angustius spatium coactus copia & impetu ad alia vasa fertur atque eorum orificia recludit, hinc sanguinis præternaturales fiunt effusiones, vel etiam lymphæ, quæ per hepar vitio laborans non rite secreta transit ad intestinorum glandulas, excitat diarrhœam, cui generandæ multum adhuc contribuit ingestorum cruditas acido-viscida, ex succi biliosi hepatici hebetudine aut defectu suborta, vel etiam circulo lymphæ per hepatis lymphatica vasa impedito, ea copiosius secreta in aliis partibus, ibique stagnans efficit harum intumescencias, quæ maxime in pedibus ceu partibus inferioribus observantur. Nolo jam
 lon-

723

longius recensere gravia illa vitiorum genera, quæ a bilis secretionem in hepate aucta vel immi-
nuta aut depravata, quæ a bilis acrimonia cor-
rosiva, acida, quæ ab ea pallida, insipida & vi-
scida, quæ ab ea in gypseam concretionem abe-
unte proficiuntur, quæ profecto omnibus iis,
qui medicinam rationalem profitentur, qui ana-
tomix & veræ physices studium colunt, inque ar-
tis operibus & exercitiis versati sunt, satis super-
que nota atque perspecta sunt. Verum enim-
vero, quam gravibus & numerosis chronicis seu
diuturnis passionibus expositum est magnum &
vastum illud corporis nostri viscus, tam raræ &
infrequentes sunt breves & acutæ, quæ cito in-
terimunt vel paucis tempore ad finem perveni-
unt, passiones, quas inter maxime inflammatio-
nes cum continua febre reponimus. Equidem
hepatis inflammationes ab auctoribus, qui dogma-
ticos & practicos libros & volumina in arte no-
stra conscripserunt, satis ample describuntur
& pertractantur, ita prorsus, ut quisque facile si-
bi persuadere possit, morbum hunc esse frequen-
tissimum & in praxi subinde obvium, tamen pa-
ce omnium illorum scriptorum adserere hoc spe-
cimine Inaugurali non dubitabimus, rationibus &

experimentis satis firmis subnixi, veram hepatis inflammationem inter morbos esse rarissimum atque ab auctoribus quamplurimas inflammationis hepaticæ descriptas observationes & hujus morbi tradita signa & notas inflammationis hepatis, in convexa vel concava parte existentis, ad spuriam sive potius falso habitam referendas esse. Et hæc erit potissimum tractationis & instituti nostri ratio. Præterea subjungemus, quemadmodum vera a spuria hepatitide sit distinguenda & qua prudenti & circumspecta methodo singulæ tractandæ sint. Deus, immensus ille omnis veritatis fons & intellectus nostri restaurator, hisce laboribus gratia & benignitate sua ex alto adfistat!

§. I.

DE hepatis affectu peracuto, qui inflammationis nomine venit & Græcis *ἥπατιτις* vocatur, tractaturis visum est nobis ante omnia ex anatomicis ea, quæ ad situm, connexionem & structuram hujus visceris pertinent, breviter tamen strictimque præmittere, ut accuratori postea studio & meliori ordine propositum nostrum exequamur. Perquam notum vero ex sectione & inspectione cadaverum, neque minus

minus ex libris, quos majori cura nostro ævo ediderunt Anatomici, perspectum est, hepar in elatiore præcipuoque imi ventris loco in dextro hypochondrio, quod fere adimplet, proximeque ad diaphragma positum esse, indeque versus sinistrum latus paulo ultra cartilagine[m] ensiformem porrigi. Pars ejus convexa mediante peritonæo dextri lateris spuriiis costis & maxime diaphragmatis parti dextrique hypochondrii posticæ sedi late contigua est. Cavæ hepatis præcipue sinistra pars pylorum ventriculique partem superiorem & anteriorem amplectitur, nec non aliquam omenti partem. Dextra pars cavi hepatis ad renem dextrum pertingit ibidemque intestini coli partem aliquam operit: ejusdem vero pars anterior aliis coli partibus incumbit atque etiam toti duodeno & jejuni omentique nonnullis partibus. Inferior hepatis & extima pars in erecto sanoque homine infra nothas costas descendit, morbosum vero & intumescens hepar interdum ad umbilicum vel etiam infra eum pertingit.

§. II.

Præterea hepar tegitur immediate peritonæo, cui etiam per plura, sed brevia stamina, ab ipsa illud succingente tunica producta, dextrorsum annectitur. Ceterum superius cum septo transverso per validissimum susensorium ligamentum membranaceum, quod ejusdem visceris substantiam profunde penetrat, communi vaginæ sive involucro venæ portæ firmissime connexum est, cujus ligamenti ope potissimum grave hepatis pondus sustinetur, ne deorsum ruat, quod ligamentum a contermino peritonæo propagatur & quasi
qua;

quadruplicatum est. Adhæret etiam hepar cartilagini ensiformi per ligamentum tenue, flaccidum, latum tamen & robustum, quod a membrana hepar succingente nascitur, cujus duplicatio quædam videtur, sed ponderi sustinendo hujus visceris parum inservit, & efficit tantum, ne in hoc illudve latus varie fluctuet & spinam versus dilabatur.

§. III.

Insuper tegitur hepar peritonæo, membrana ob nervos, qui ex intercostalibus & diaphragmaticis circa hanc regionem ingrediuntur, valde sensibili. Hoc autem musculo abdominis transverso & superius diaphragmati valde connexum esse, ex inspectione cadaverum satis clare & dilucide edocemur. Tegitur etiam hoc viscus ipsis costis spuriiis, sub quibus maxime delitescit & præsertim sub octava, nona & decima, quæ cum septima ac simul inter se per cartilagineas transversas cohærent. Tegitur deinde exterius musculo transverso, qui peritonæo immediate superpositus est, cujus transversæ partes carnosæ etiam superius excurrunt sub costis, quæ etiam diaphragmati interius firmiter annectuntur & ad musculi recti principium sub cartilagine ensiformi pertingunt. Huic transverso superstratus est musculus oblique ascendens, qui valido quodam ligamento annectitur processibus transversis vertebrarum lumbarium & antè infimas costas attingit. Huic musculo infratum esse oblique descendente admodum latum, quippe abdominis dextram partem & aliquam thoracis obvelat, ex anatomicis non ignotum est. Ille oritur in pectore a costis spuriiis & ab ultimis legitimis,

715

mis, antequam in cartilaginem desinant, variis principiis seu dentibus musculo ferrato majori digitatim implexus est, ubi singula singulos nervos & frequentissime etiam venas & arterias ab interstitiis costarum recipiunt. Inter integumenta externa hepatis non immerito referri etiam debet membrana musculorum communis, cujus pars interior valde carnosam, fibrosam & nerveam est, arteriis venis & nervis cincta, sequitur postea panniculus adiposus ipsaque cutis, sub quibus integumentis dextri lateris hoc viscus profundum suum situm obtinet.

§. IV.

Deinceps quoque ex anatomicis supponimus, in hepate venam portæ arteriæ vices administrare, eamque sanguinem, ab intestinis, mesenterio, ventriculo, omento, liene atque pancreate refluxum, deportare ad hepar, ex quo postea per venæ cavæ ramulos ad ejus truncum connexum firmiter diaphragmati pergit & ventriculo dextro infunditur. Ut vero præcipuus sanguis per portæ venam in hepar adducatur, attamen huic visceri non denegata est arteria ex dextro cœliacæ ramo satis notabilis, quæ jecoris quidem cavum subit, sed tamen in vasa solum hujus visceris, seu potius in eorum involucria, unice impenditur, ibique terminatur, procul omnino dubio, ut vasa, ex quibus innumerabilibus totum hoc viscus conglomeratum est, nutrimentum inde accipiant. Constat porro ex anatomicis, ductus insignes excretorios, ex membranis valde musculosis & nerveis compositos, bilem secretam per ramos majores reducere ad duodenum. Neque vero destitutam esse nervis hanc nobilem corporis partem, celeberrimi Vieussen labori

B

debe-

debemus. Sex ab eodem graphice describuntur fibræ nerveæ, a plexus intercostalis semilunari ad diaphragmatis perforationem diramatæ, quarum tres vesiculæ felleæ ramisque ductus biliarii impertiuntur fistulisque eisdem concutiendis inservire adferit; ceteræ arteriam hepaticam ad instar reticuli circumligant, motum laticis per eam excurrentis regentes tanquam habenæ. Ex harum inde ac fibrillarum octavi paris dextri concursu plexus efformatur hepaticus, ad totum inde jecur distributus, qui fibrarum fasciculis quaquaversum expansis cum plexu lineari mesenterico aliisque abdominis communicat, præcipue autem cum stomacho sursum circa pylorum & orificium superius ventriculi densis elatis propaginum turmis, ex quo invicem nervolo hepatis & ventriculi commercio mutuum & horum viscerum consensum respectu ad affluxum bilis ex vomitu & vomitum ex affluxu bilis trahunt laudati auctores.

§. V.

Ultimo loco haud prætermittendum esse arbitror membranam, quæ hepar ambit, cum peritonæo quidem continuam, sed valde tenuem esse fibris carnis & nerveis destitutam, venæ portæ vero truncum & ductus biliarios includi capsula sive vagina a Glissonio primum notata, quæ est valde crassa, robusta, fibroso-nervea, quæ etiam videtur a peritonæi parte carnosiori natales suos agnoscere & etiam cum portæ & ductuum biliariorum ramis intus subit hepatis cavum & ad ultima usque capillaria cum illis una dividitur & distribuitur.

§. VI.

§. VI.

726.

Ex hisce jam omnibus fundamenti loco adductis clarissime apparet, primo sanguinis cursum per venam portæ valde tardum & difficilem esse, cumque diaphragmatis continuo sub inspiratione & expiratione motu adscensionis & descensionis egregie adjuvari, quandoquidem per omnes venas, quæ pulsu ac impulsu carent, longe difficilius est iter & progressus sanguinis & multo magis per hanc venam portæ dictam, quæ recipit prius sanguinem ex ramis minoribus annexorum viscerum & postea cum rursus infundit in innumerabiles & minimas vasorum ramificationes. Secundo ex dictis constat, hepatis viscus, præsertim quoad ejus superficiem, sensu exquisito minime pollere, eo quod ejus membranæ nerveo-musculosæ, quæ genuinum sensus organon constituunt, ibi deficient, neque sufficientes adsunt. Cum vero illæ ipsæ in parte hepatis concava, ubi ductus excretorii & venæ portæ rami una cum capsula Glissoniana conspicui sunt, satis copiose reperiantur, in dictis partibus sensum adeoque dolorem satis exquisitum & subtilem consistere rectissime concluditur. Et quia nervorum propagines ad tunicas maxime ductuum biliariorum feruntur, hos ipsos etiam sensu & dolore satis acuto præditos esse, inter alia clare prorsus acerbus ille dolor evincit, qui ab inhæsiōne calculi in hisce ductibus pronascitur. Præterea ligamenta satis robusta, præsertim suspensorium, quibus hepar firmiter annectitur diaphragmati & peritonæo, exquisitiori sensu non carent. Atque præter peritonæi membranam integumenta hepatis, musculos & maxime eorum membranas sen-

su satis acuto pollere, nemo facile ibit inficias. Tertio ex profundo hepatis sub diaphragmate, sub costis spuris & sub musculis abdominis situ recte judicare licet, hoc viscus tam in statu sano, quam in morbo non tam facile tactu apprehendi & cognosci posse, nisi durus quidam ejus tumor a nothis costis ad ventriculi scrobiculum vel etiam ultra sese extendat, tunc enim digitis compressis tumoris durities quaedam observatur. Talis vero tumor semper elatior est ventriculique regioni vicinior, tumor vero in concava posticaque hepatis parte tactu haud distincte deprehenditur, sed tamen plenitudo hypochondrii dextri & digitorum ibidem sub costis nothis renitentia quaedam major solito occurrens indicium quoddam tumidi & indurati hepatis exhibent.

§. VII.

Hisce jam ex anatomia, quæ merito iure veræ theoriæ medicæ rationalis basis & clavis est, expositis longe jam confidentius ad thema nostrum evolvendum nos accingimus, statuentes, veram hepatis inflammationem & exinde enatam febrem affectum esse rarissimum, id quod clarissimis prorsus argumentis evincere conabimur. Nam si originem & genesin inflammationum spectemus, eæ maxime in partibus nerveo-membranosis sensibilibus, quæ permultis vasibus donatæ sunt, oboriuntur, cujus generis sunt ventriculus, intestina, meninges cerebri atque pulmones, in quibus ob sensibilem valde & membranaceam teneramque texturam atque ob sanguinis per arterias impetum facillime stases fiunt. In corde, quia sensu subtiliori caret, nullibi fere legimus subortam inflammationem: in liene quoque ob eandem rationem

717

tionem, utut copiosus in hoc viscus invehatur sanguis, rarissima est. Neque tam frequentes inflammationes renum & uteri sunt, cum sensu identidem non adeo insigni hæ partes præditæ sint. Ratio vero, quare stases inflammatoriæ magis partes subtili sensu præditas, quam minus sensiles occupent, hæc esse videtur. Sanguis si cum impetu & copia fertur ad vasa capillaria ibique regredi nescius impactus & sine motu hæret, fibras & membranas nerveas nimium premit atque distendit, hinc oritur dolor & spasmus, crispatura atque contractio, qua etiam minima vasa, quæ ex membranarum nervis & musculosis consistant, angustiora redduntur & sanguinis a tergo succedentis liberum transitum ac iter præpediunt, unde majora repleta dolorem partis adaugent, atque tumorem, nec non calorem ipsi inducunt. Et quoniam a nimio dolore & spasmo totum genus nervorum atque adeo vasorum in consensum trahitur, febris exoritur, quæ secundum nostram sententiam affectio est nervosi generis & a spasmo universali nervos & vasa occupante nascitur, siquidem ab omni acerbo dolore pulsum & angustiorum & duriorum & celeriorum reddi citatioremque sanguinis cursum, qui incalescentiæ fons atque origo est, sequi, quotidiano fere experimento edocemur.

§. VIII.

Ex quo discimus, eas partes, quæ rudiori sensu sunt donatæ, in quarum numero præcipue hepar est, minus inflammatoriis stasibus & inde natis febribus patere atque obnoxias esse. Accedit etiam illud, quod ad perfectam sanguineam inflammationem fortis sanguinis

dis impulsus ejusque in vasis nimia congestio requiratur, ut supra modum vascula ab eo distendantur. Cum vero vehemens in venis portæ deficiat impulsus, sed tarde admodum per hujus ramos transfluat sanguis, ut eo melius secretio biliosi liquidi, cui hoc viscus maxime destinatum est, perficiatur, haud difficulter intelligitur, hanc venam ad fabricandas inflammationes minus aptam atque idoneam esse, sed potius sanguis in vasis hepatis si nimium congeritur, infarctus & tumor non raro stupendæ magnitudinis producitur; nam quia in vasis hepatis ejusque membranis ob exiguum sensum minima est tensio & renitentia, fit, ut tono earum laxato decubitus humorum facillimus ibi sit. Et hæ sunt potissimæ rationes, quare vera hepatis inflammatio rarius in hepatis viscus incidat.

§. IX.

Equidem inflammationis hepaticæ frequens fit mentio ab auctoribus & antiquioris & recentioris ævi, sed tamen ex illis probe invicem collatis difficillimum erit cognoscere veras notas, signa atque symptomata hujus mali, sed re accuratius expensa incomplete & valde obscure jecoris acutas adfectiones describunt magnamque faciunt confusionem inter hepatis inflammationem internam cum ea, quæ in externis dextri hypochondrii partibus & integumentis existit, dum vel pleuritidem spuriam, quæ superiores thoracis partes & costas veras infestat, vel inflammationem musculorum abdominis & peritonæi, quæ nobis hepatitis spuria dicitur, falso pro vera hepatiti de habent & venditant, atque etiam frequentius inflammationem duodeni & ipsi annexorum ductu-
um

718

um biliarium atque ventriculi orificii dextri pro inflammatione hepatis in parte concava habent. Nostrum itaque erit, hos omnes affectus, qui natura ac genio, periculo quoque & cura plurimum inter se dissident, probe inter se distingvere & singulares notas characteristicas recte & iusto ordine tradere, & veterum errata, quæ mea quidem sententia ex anatomix tunc temporis inculto studio profluxerunt, in ordinem redigere, partim solidis ex anatomia, quæ optima controversiarum medicarum dijudicatrix est, fundamentis, partim etiam accuratioribus observationibus practicis adjuti atque muniti.

§. X.

Visum vero nobis est de veteribus optimos, & qui majori paulo eum cura signa morborum descripserunt, consulere eorumque dogmata ac placita hac de re exponere. Prodeat ergo in medium primo omnium antiquissimus medicinæ pater *Hippocrates*, qui *Libr. de internis affectibus §. 11.* morbum hepaticum ita describit: dolor acutus in hepar incidit & sub ultimas costas & in humerum & in claviculam & sub mammam, & suffocatio fortis tenet & aliquando lividam bilem revomit & rigor & febris primis diebus debilior habet, & dum attingitur hepar, dolet & color ipsius sublividus est, & cibi, quos prius comedebat æger, suffocant ipsum & ingesti urunt ac torquent ventrē. Huic conducunt, ubi dolor habuerit, tum alia, tum tepefactoria eadē adposita, quæ etiam pleuritidi profunt; & de hoc morbo sub finem addit: judicatur is maxime in septem diebus. Hic morbus ab Hippocrate descriptus non tam in ipso hepate residet, sed potius ad magnam & paulo profundiorē inflammationem erysipelaceam

par.

partium externarum, & thoracem & regionem hepatis tegentium, referendus mihi videtur, nam non modo ultimas costas adprehendit, sed etiam ad humerum, ad mammam, ad claviculam sese extendit & dolor tactu augetur. Deinde quoque cum rigore, cum febre, cum vomitu invadit, quæ symptomata in erysipelaceis febribus familiarissima sunt. Dolor quoque decrefcit externis emollientibus adpositis, utpote quæ fibras partium tenfas & rigidas relaxant. Respiratio vero ad suffocationem usque difficilis a spasmo plevræ & peritonæi, quæ duæ membranæ diaphragma cingunt, idque in consensum trahunt, non incongrue derivanda est.

§. XI.

Hippocratem merito excipiat *Aretæus*, vetus accuratus & optimus earum rerum, quæ ad historiam morbi pertinent, scriptor. Hic *Libr. II. de morbis acutis Cap. VII.* acutum pectoris affectum ita describit: si magna injuria, ut puta verbere, longa ciborum vitiosorum corruptione, ebrietate, vehementi refrigeratione phlegmone in portis jecoris excitatur, tunc ægrotus celerrime jugulatur, ignis enim in profundo corpore depascitur, obscurus, acer venarum motus torpent, doloris variæ species sunt, nonnunquam dextra in parte defigitur adeo, ut acutum telum adactum esse videatur, interdum torminibus similis est, interdum cum summa gravitate conjungitur, tusficula imperfecta sive potius ad tusim inclinatio est, sique tussiant, nihil reddunt, vitiose spirant, plus expirant, colore ex atro viridique permixto infecti sunt, cibos oderunt, venter solutus multa biliosa excernit, extrema frigent, tremor adest, horror, singultus inanis, convulsio-

ni

729.

ni similis & totum corpus bilioso colore suffunditur, quod, si ante septimum diem fiat, periculosum est & plurimi tolluntur. Ex accuratiori hac morbi descriptione manifestum esse arbitror, non tam ipsam substantiam hepatis concavi vel ei annexas membranaceas nerveas partes inflammatione esse affectas, quia deest febris, sitis, & delirium, dum motus venarum torpent, sed potius vehemens spasmus duodeni tunicas & vasa biliaria tenet, a quo dolor acutus, æstus, tussis, inclinatio ad vomitum, icterus, ceteraque mala derivanda sunt. Hæc enim symptomata frequenter in ægris sub generatione morbi regii, præsertim si corpus sensibile & juvenile est, incidunt. Causa quoque potest esse calculus, in ductibus biliaris hærens. Malum si non remittit vel discutitur, tunc utique in lethalem inflammationem harum partium terminari potest.

§. XII.

Relicto *Aretæo* sequatur jam *Celsus*, qui L.IV. c.VII. acutum jecinoris morbum hisce signis definit: dextra parte, inquit, sub præcordiis vehemens dolor est, idemque ad latus dextrum & ad jugulum humerumque partis ejusdem pervenit, nonnunquam manus quoque dextra torpet, horror validus est: ubi male est, bilis vomitur, interdum singultus prope strangulat. Ecquis non ex allatis signis perspicit, malum hoc magis in externis partibus, quam in internis visceribus consistere. Bene addit: in peiori malo & vomitum & singultum adesse, quod fit, si dolor & spasmus profundus in pleura vel peritonæo diaphragmatis musculos & nervosas ventriculi tunicas consensione & vicinitate ac continui-

C

tate

tate in similem spasticum motum pertrahit. *Celso* sub-
 jungemus *Trallianum*, qui ex veteribus nobis maxime
 placet. Is *Libr. VIII. Cap. I.* de inflammatione jecoris in
 convexa parte hæc tradit: febris est ardens, vomitus
 biliosus & æruginosus, frequenter jugulum detrahitur,
 tussicula movetur, septum transversum coarctatur &
 acrior dolor excitatur, si inflammatio in tunicis aut am-
 bientibus vasis constiterit: & addit, si univèrsa jecoris
 inflammatio magna fuit, tunc ipsam nosse & oculis &
 tactu possumus, si exigua, nec febris infertur, nec tactu
 & oculis cognoscitur. Si vero in concava parte exi-
 stit, tumor in imis potius, quam in supernis partibus
 conspicitur. Ego certe plane confusam hanc digno-
 tionem inflammationis in convexa & concava parte di-
 cerem. Quandoquidem noster auctor inflammationem
 magnam jecoris in convexa parte, & oculis & tactu per-
 spici posse, in cava vero si existat, tumorem in imis po-
 tius, quam in supernis partibus conspici adserit. Nam
 ex superioribus satis clare patet, hepar non facile, nisi
 admodum tumidum & durum, sensibus & tactui patere,
 nisi simul externæ partes dolore & tumore inflammato-
 rio fuerint obsessæ. *Cælius Aurelianus*, qui ex metho-
 dicæ sectæ addictis unus adhuc superest, acutum jeco-
 ris affectum sicco plane pede pertransit. Quæ vero re-
 centiores de hepatis inflammatione scripserunt, nolu-
 mus ob evitandam prolixitatem hic inserere, illud ta-
 men meminisse suffecerit, ex veterum monumentis,
 quæ habent, maxime transcripta esse, neque ullum fe-
 re, quod sciam, recte exponere, quomodo vera inflam-
 matio jecoris cognosci & distingui debeat.

§. XIII.

Nonnulli vero ex veteribus recte animadverterunt, inflammationem partium externarum haberi posse pro jecore inflammato. Ita *Trallianus loc. cit.* ita differit: considerare oportet, num inflammatio ipsi jecori proprie acciderit, an tunicis ipsius vel musculis extrinsecus ambientibus. Et *Forestus Libr. XIX. de hepatis affectibus* ita differit: sæpe imponit tumor dextri hypochondrii medico, tanquam sit in jecore affectus, cum tamen sit in musculis abdominis, quem casum recitat *Galenus* Stefano cuidam evenisse, & nos aliquando vidimus deceptos medicos. Et *Hippocrates* multos, ait, lucrum facere ex eo, quod ignorant, cum credant, se curasse phlegmonas jecinoris, cum tamen sint musculorum. Et *Zacutus Lusitanus in Praxi Histor. Libr. II.* scribit: quod jecoris inflammatio externo contactu non possit cognosci, sed pleuritis spuria tactu bene distingui possit. Ipse quoque *Mercatus de Internorum Morborum Curationibus Tom. III. Libr. IV. Cap. II. pag. 333.* clare docet: pleuritidem & musculorum abdominis inflammationem sæpe cum ea, quæ in jecore est, confundi, adeoque has affectiones probe esse distinguendas. Notatu etiam digna sunt, quæ adfert *Duretus Comment. in Hippocr. Coac. pag. 164.* hypochondriorum tunicæ, quæ adjacent cartilaginibus notharum costarum & ceterarum abdominis partium, quæ superjacent peritonæo, patiuntur dolores eos, quorum meminit *Hippocrates Sect. VI. aph. 7.* dolores circa ventrem oborientes sublimes quidem leves

sunt, non sublimes, fortiores. Ergo non omnis tumor dolorificus hypochondriorum denunciat viscerum inflammationem, quoniam abdominis muscoli dolere possunt atque tumere concepta in ipsis causa doloris atque tumoris per distensionem propriam aut eximiam intemperiem. Perplacet vero maxime locus ipsius *Avenzoaris Libr. I. theixir. Tr. 13. Cap. IV.* ubi dicit, quod aliquando in panniculo hepatis fiat extensio, unde sequatur dolor fortissimus, quasi intolerabilis & appareat patienti, quod hepar sit, quod doleat. Ipse se curavit ab hoc dolore, inungendo locum cum oleo de vitellis ovorum & nucum æqualiter mixtis ipso illo die.

§. XIV.

Cum vero pleuritis, vel etiam hepatitis notha, aut musculorum abdominis inflammatio prope communiter, sed falso pro vera hepatis phlegmone in parte ejus convexa habeatur, e re fore judico, etiam horum singulorum affectuum essentialia quasdam & proprias notas, quibus unus ab altero distinguitur, proponere. Notha pleuritis sic manifestatur: in partibus superioribus thoracis intra costas veras dolor pungitivus & tensivus, qui sæpe ad jugulum & ad humerum sese extendit, percipitur, cum tussi sicca, febre & doloris sub inspiratione augmento: in hepatitide vero spuria dolor magis occupat inferiores partes & circa costas nothas residet & sese extendit usque ad cordis scrobiculum cum febre, tussi, præcordiorum anxietate & doloris etiam in inspirando augmento: inflammatis enim inferioribus costas & diaphragma & stomachus graviter & non sine periculo sæpius laborat. Dolor vero ipso tactu & pressione augetur est-

estque magis tenivus & gravativus, quam acutus & punctorius, tumor vero exterius non observatur, quia sub musculis abdominis in membrana peritonæi & ligamenti hepatis vitium latitat. Deinceps difficilior tunc est decubitus supra sinistrum latus, quia, ut recte disse- rit *Cælius Aurelianus Libr. III. Cap. IV.* pondere hepatis sus- pensæ dextræ partes adducuntur, videlicet membranosa, & propterea punctiones fiunt ob distractam & divulsam membranam, cui jecur annexum est & quæ cum dia- phragmate alligatur. Hic decubitus longe adhuc gra- vior, si quando hepar ingenti tumore affectum est. Id vero hoc loco notari velim, quod interdum casus in praxi occurrant, ubi & partes superiores & inferiores in thorace & infra costas spurias gravi dolore tenivo cum febre, tussi sicca & angustia spirandi afficiantur, & tum non tantum supra diaphragma pleura, sed & infra illud pe- ritonæi membrana graviter patitur, ut affectus partim pro pleuritide, partim pro hepatitide spuria haberi pos- sit. Inflammatio vero musculorum abdominis in dex- tro latere magis sensibus obvia est & tumor tactui & vi- sui sese offert, cutis circum circa tensa est, ita ut si quis digitis eam adprehensam attrahere velit, ea minime se- quatur. Deinde etiam tumor in musculorum inflamma- tione juxta ductum transversorum aut aliorum figuram sortitur febrisque mitior est, adeoque nec tussis, nec si- tis, nec vomitus adest, quæ tamen symptomata muscu- lis transversis, qui arcuissime alligati sunt peritonæo, in- flammatis facilius accedunt. Hæc inflammatio muscu- lorum abdominis sæpiissime pro causa agnoscit violen- tiam externam & ex hac factam ingentem contusionem,

facileque, nisi mature convenientibus auxiliis succurramus, in abscessum mutatur, sed tunc malum maxime fit chronicum cum lenta febre & ingenti tabescentia corporis viriumque jactura.

§. XV.

Quamquam vero rarior sit, imo rarissima vera ex hepate inflammatio ejusque substantiæ inde facta corruptio; testantur tamen observationes, ex spuria hepatitis, intra membranam peritonæi vel inter musculos abdominis consistente, obortum fuisse abscessum, quo rupto pus ipsi hepatis convexas partes invadens eas corrumpit atque putrilagine inficit, si nempe neglecta fuerit tempestiva tumoris, ut pus efflueret, apertio. Talem casum proponit *Forestus Libr. XIX. de hepatis affectibus Observ. X.* Vir annos triginta sex natus, dolore hypochondrii dextri integrum per annum confectus, cui lenta accessit febris, tabe confectus & plane consumptus est, tota facies citrina & universum corpus flavum evasit, & dolor atrox eum torquebat in dextro hypochondrio, quod durum & valde subamidum musculus abdominis plane extenuatus erat, urina tenuis & ignea, oris siccitas, alvus modo adstricta, modo liquida, cibi fastidiū, sitis inexhausta. Incisione facta materia purulenta foetida emanavit cum tanto foetore, ut totam domum impleret, ita ut vix quisquam apud ægrum in cubiculo persistere posset, æger paulo post animam efflavit. Cadavere aperto in tota ventris cavitate reperta est ingens copia puris, peritonæum quoque disruptum & putridum conspiciebatur, hepar durum, ingentis magnitudinis, albicans circa stomachum, sed in gibba sui parte prope costas spurias nigrum, exustum &

gan.

722

gangræna infectum, in hepate vero nullum conspiciebatur pus. Præcipua autem corruptio hepatis erat in parte dextra versus costas spurias & circa musculos intercostales, qui etiam cum costis spuriis nigredinem contraxerant initar carbonis & facillime frangi poterant. Similem historiam hepatis putrefacti recenset *Cl. Schellhammerus in Miscell. Nat. Curios. Dec. II. Obs. II.* ubi femina ingenti tumore in abdomine laboravit haud longe ad umbilicum dextrum versus: adhibitis emollientibus apertus est & effluerunt materiæ purulentæ libræ tres & singulis diebus integra libra hujus materiæ: diem obiit supremum. Aperto eadavere invenitur hepar plane putruisse ex ea parte, qua peritonæo erat contiguum, per quod materia penetravit; rupto abscessu de nullo dolore conquesta est, manifesto signo, hepar nullum habere sensum. Ejusdem fere tenoris est observatio, quam communicat *Coiter. in Obs. Anatomico-Chirurg.* qui sequentem refert casum: Vir 42. annorum, cholericus, levi tussi correptus, de molesto hypochondrii dextri dolore, de inappetentia, universi corporis languore, oris ariditate, æstu post cibum conqueri cœpit, vi morbi crescente, viribus decrepescens, corpore extenuato, totius anni spatio coactus fuit decumbere & multis medicis & medicamentis usus est sine fructu: inventus est tumor durus, tensivus ad medium ventris, febris fuit lenta, alvus difficilis, tandem tumor factus est in musculis abdominis, qui apertus caustico fundebat ingentem puris quantitatem. Aperto corpore inventa est vomica in convexa parte hepatis, cujus non parum putrefecerat.

§. XVI.

§. XVI.

Ex quibus jam apparet, abscessus musculorum abdominis male curatos & non mature apertos ipsa corruptione propagata in vicinum hepar lethalem posse habere eventum. Illud etiam hic annotare lubet, quod abscessus musculorum abdominis pro abscessu hepatis falso interdum habeatur, quo errore etiam ipse *Hippocrates* laborare videtur, dum *Sect. VII. aph. 45.* ita scribit: *quicumque hepar suppuratum urunt, si pus parum fluat & album, superstites evadunt, in tunica enim pus iis inest. Si vero velut amurca fluat, pereunt.* Quisque facile hic perspicit, hepar suppuratum non admoto ferro candente, sed abscessum musculorum abdominis eo apertum fuisse, de quo verum est, quod pronuntiat *Hippocrates* in dicto aph. evadere homines, si pus album profluat, perire vero, si amurca, id est, putrida materia fluat; nam hæc ipsa jam indicat magnam corruptionem & putredinem, quæ ad internas partes delata non modo vires consumit, sed & viscera contermina adgreditur. Cum itaque noster *Hippocrates* in eo fuerit deceptus, non mirum videri debet, si nonnulli alii medici, *Hippocrati* in rerum medicarum scientia longe inferiores, errorem in eo commiserint, quod abscessum musculorum abdominis pro abscessu hepatis falso curaverint. Sic *Hercules de Saxonia* abscessum abdominis circa regionem abdominis male habet pro abscessu hepatis. Curatus is ipse fuit octo dierum spatio, ex aperto tumore libræ duodecim saniei educæ fuerunt, per annum integrum fistula plumbea in loco aperto gestabatur. Hinc etiam *Capivaccius Libr. III. Cap. XXIII.* ulcus ex abscessu musculorum abdominis in regio-

gione hepatis relictum inepte pro pectoris ulcere vendit.
tat.

§. XVII.

Verum enimvero & ipsum hepar abscessibus produ-
cendis idoneum est, ut paulo lentius eorum gene-
ratio procedat & magis ex chronicis passionibus & he-
pate obstructo ac in tumorem elevato, quam ex acutis
enascatur, quemadmodum id ex historiis & sectione ca-
daverum manifestum fit. Sic famula quædam referen-
te *Foresto in Libr. XIX. Obs.* cum longo tempore
non sine febre decubisset, restituta quidem fuit
sanitati, ita ut aliquot mensibus foras prodiret, postea fa-
cta est recidiva, rursus aliquot mensibus decubuit, neque
tumor ulla medicamenta adhibuit, nisi cum jam macie ex-
hausta jaceret cum febre lenta, sitique continua & fluxu
colliquante, tumor circa stomachum apparuit rotundus.
Facta post mortem sectione inventus est lobus hepatis
supra stomachum ascendisse, totius hepatis membrana
illæsa, quæ hepar continebat, sed ea incisa tota substan-
tia hepatis corrupta & purulenta vomicæ instar undique
effluxit in capacitatem ventris cum tanto foetore, ut
quis diu apud cadaver jam apertum permanere non
posset. Huc pertinet etiam *Hist. XVIII. Cent. IV. a Bar-
tholino* adducta, ubi vir aliquot abhinc annis de febricu-
la, nullis remediis cedente, conquestus est. Dolor tan-
dem successit in hypochondrio dextro tumorque jeco-
ris cum difficili respiratione. Existimabat nonnemo
esse inflammationem jecoris, contra Sala noster esse je-
coris abscessum divinabat, qui se per venam cavam in
thoracem expurgaret, unde difficilis respiratio & copia

D

pu-

puris. Post paulo æger morti cessit. In aperto cadavere ingens abscessus in jecore inventus, unde prorsus computruerat & totus venæ cavæ ramus superior illo pure repletus cernebatur, thoraxque humiditate ista abundabat.

§. XVIII.

Rarissimæ vero sunt illæ observationes practicæ & inventu in tot practicorum libris admodum difficiles, ubi hepar antea sanum subito, ut in aliarum partium inflammationibus fieri solet, acuta inflammatione cum febre correptum fuit, intra paucas dies morte secuta ipsaque postea sectio cadaveris notas hujus inflammationis vel sphacelum vel abscessum tetigit. Legimus quidem in Miscell. Natur. Curios. Cent. III. & IV. Obs. 144. historiam, ubi quis hepatitide subito extinctus fuit & cadavere apertò macula nigricans, quæ tribus vicibus imperialis magnitudinem excedebat, in ea hepatis parte, quæ pylorum respicit & attingit, apparuit. Verum quando paulo diligentius hujus historiæ circumstantias expendimus, magna dubitatio oritur, annon ipse æger perierit ex inflammatione pylori seu dextri stomachi orificiï, cum in eo tam interne, quam externe se conspiciendam daret macula fusca seu nigricans, quæ imperialis magnitudinem excedebat. Nam æger, non periculose decumbens, adsumsit, ut historia refert, a nebulone medicamento guttulas liquoris quadraginta ejnsque usum aliquoties repetiit, a quo tempore pessime se habere cœpit, adeo, ut tota nox ipsi maxime fuerit turbulenta, irruente calore intensissimo, & circa carpos manuum frigore, dolor quoque erat urens circa scrobiculum cordis
versus

724

versus hypochondrium dextrū, & præcordiorū anxietas & vix verbis exprimere poterat miserias præterita nocte toleratas & se modo, quasi de morte resuscitatū proclamabat, sed ejusdem diei hora tertia revertebatur fatalis paroxysmo, (stipaty supra memoratis symptomatib9 & vomitu omnia, quæ ipsi exhibebantur, rejecit & mors brevi secuta est. Profecto symptomata hæc atrocia subito oborta a medicamento sumto & maxime dolor urens circa scrobiculum cordis versus hypochondrium dextrum & præcordiorum anxietas non ab hepate, sed potius ab orificio ventriculi nerveo deducenda sunt, maxime vero a medicina, dubio procul corrodente, quæ proxime in ventriculum, non vero in hepar, quod sensu acuto caret, vim & operationem suam exeruit & celerrime instar veneni inflammationem & sphacelum produxit, qui deinde conterminam & annexam partem, uti sæpius vidimus in dissectis cadaveribus, quæ veneno sumto perierunt, infecit.

§. XIX.

Præterea Cl. Reifelius in Miscell. Nat. Curios. Dec. II. A. IX. abscessum hepatis ex inflammatione ejus, ut videtur, ortum describit, dum eques mense medio Octobris uritur intolerabiliter circa præcordia & inquietus adest summa, dolor quoque dextri lateris tensivus angit, paulo post accedit icterus cum fecibus alvi pallidis, pedibus tumentibus, aucto tumore circa jecoris regionem & dyspnœa, quinta a morbi initio septimana obiit. Aperto cadavere jecur immensum, libras decem pendens, extus albis globis hinc inde obfessum, intus plenum pure ultra mensuram, vesiculam quoque fellis non bile, sed

pure impletam invenerunt. Ego sane intra tam exiguum temporis spatium immensum illum hepatis tumorem non generatum fuisse, sed jam tum antea extitisse crediderim. Id autem veri est simillimum, inflammationem & abscessum in ejusmodi male affecto & obstructo hepate intra hoc tempus excitatum fuisse. Nam si inflammatio in interna hepatis substantia gigni debet, valde probabile est, non ex sanguine intra venam portæ vel cavam contento eam fieri, sed potius eam deducendam esse a sanguine per arteriam hepaticam cum impetu quodam advecto in viscus, cujus vasa cruore turgent atque infarcta sunt, ubi proinde facile impactus hærens, inflammatorium æstum, quem abscessus sequitur, inducere potest. Illud interea manet firmum ac fixum, quod neque in praxi facile talis occurrat observatio, neque in tot auctorum monumentis annotata reperitur, qua clare & sine dubitatione facta dissectione defuncti doceri possit, in antea sano viscere hepatis subito inflammationem cum ingenti dolore, æstu, febre acuta lethalem ortam fuisse, adeoque non sine ratione talem in rarissimis morbis ponendam esse statuimus.

§. XX.

Utut vero inflammatio acuta & funesta rarior sit affectus ipsius hepatis, tamen ejus sphacelus non tam raro occurrit. Ita ante viginti annos consiliarius quidam temperamenti sanguinei, annorum quinquaginta & aliquot, ex mœnore diuturno incidebat in virium omnisque appetitus prostrationem, de nullo dolore conquestus, tandem incrementibus his symptomatibus & accedente singultu placide obiit. Secto corpore totum hepar nigrum

725

grum & sphacelofum inventum fuit, dextra pars ventericuli, quæ hepatis adjacet, simili colore tinctæ erat, item diaphragma, ubi hepatis annexum erat. Simile exemplum refert *Dodonæus* Cap. XXX. in Observationibus de viro generoso, diuturno gravi mœrore & animi dolore ob rerum suarum jacturam correpto, qui conquestus est de virium debilitate, cibum ac potum averfatus, imo citra appetentiam eum admisit, nulla aderat febris, nulla sitis, urina rubicunda, hepar colore undiquaque nigricante tinctum repertum fuit. Plura exempla in *Miscell. Natur. Curios.* collecta deprehenduntur. Jam vero ex hoc argumentari quispiam posset, non adeo infrequentem esse jecoris inflammationem, quia secundum communem medicorum sententiam sphacelatio magnæ inflammationis indivulsa est pedissequa. Veruntamen quam frequenter contingit sphacelosa corruptio citra præcedentem gravem æstum vel tumorem & citra causam externam quandam violentam, præsertim si corpus est imbecille & senile, & extremas pedum partes occupat, funesto ut plurimum eventu. Quidni etiam interne in visceribus id citra præcedentem inflammationem fieri possit, maxime in viscere, per quod ordinario sanguinis est tardior progressio, & ubi sanguis ad corruptionem inclinat ac corpus viribus fractum est, ego quidem non video.

§. XXI.

Restat adhuc peculiaris inquirenda ratio, cur dextrum corporis latus rheumatismis, inflammationibus, doloribus, pleuritide spuria, inflammatione peritonæi & musculorum abdominis longe frequentius afficiatur, testante id certa & multiplici experientia, quam latus sinistrum,

strum, ubi hi affectus rarius conspiciuntur. Licet vero hujus rei causam idoneam invenire non adeo promptum sit, existimaverim tamen, ingentis magnitudinis viscus hepatis, diaphragmati firmiter costisq; spariis annexum, causam hujus effectus esse, utpote cum hepar vehementiori facto motu corporis & aucta inspiratione, maxime si ejus magnitudo & pondus increvit, paulo validius partes has membranas laceffit, distendat atque vellicet, unde decubitus & secessio humorum in hoc latere longe facilius fit, quam in sinistro. Et inde etiam rationem repetere licet, quare ex ictu & lapsu in latere dextro vel ab emplastris & unguentis nimis calidis hepatis regioni admotis vel cucurbitulis ibi adfixis, quemadmodum *Hildanus Cent. VII. Obs. 46. 47.* observationes aliquot commemoravit, inflammatio non jecoris, ut ipse habet, sed potius externarum, quæ illud tegunt, partium oriatur.

§. XXII.

Ut autem jam revertamur ad affectum illum inflammatorium, qui partes externas circa regionem hepatis frequentius invadit & ut plurimum cum horrore, frigore, interdum etiam vomitu & febre incipit, cui postea dolor tensivus ejusdem lateris, tussicula, anxietas, pavor in somno, difficultas spirandi, inquietudo, alvi adstrictio jungitur & vulgo pro inflammatione hepatis haberi solet, is certe non adeo terrere debet nec medicum, nec ægrotantem, eo quod, si cura recte perficitur, non multum habeat periculi & raro jugulet, nisi viscera intus sint corrupta, estque nihil aliud, quam species febris rheumaticæ sive rectius erysipelacæ, & fit non tam a decubitu sanguinis, quam seri visceri acrioris, membranas & fibril-

las

726.


las nerveas lancinantis. Infeſtat maxime eos, qui arthriticis & rheumaticis doloribus alias ſunt obnoxii, qui potibus ſpirituosis & iræ nimium indulgent, & ſanguinis evacuationes conſuetas ſuppreſſas habent. Novimus, qui a diarrhœa per largiorem potum ſpiritus vini in idem malum inciderunt. Finitur ut plurimum morbus intra ſeptem vel etiam undecim dies & ſolvitur largo ſudore. Ipſo enim illo febrili conjuncto motu natura pro medicina & præſidio utitur, cujus beneficio certo tempore materia peccans & ſtagnans attenuatur, reſolvitur & ſenſim atque ſenſim diſcutitur. Nam qui ex inflammationibus convaleſcunt, per febrilem motum bene adminiſtratum id fieri exiſtimamus. Quo pertinet maxime *aph. 52. Sect. VII. Hippocratis*, qui ita ſe habet: quibuſcunque hepar circumcirca dolet, iis febris accedens ſolvit dolorem.

§. XXIII.

Ut autem noſtram ſententiam de felici inſtituenda hujus affectus cura paucis dicamus, conſiſtit illa ipſa maxime in eo, ut ſine ſanguinis præcedente miſſione, niſi ſanguis ſupra modum exundet, citra purgantia aut ea, quæ fortiter ſudorem movent, tantummodo ordinem & ductum naturæ, quo ſua ſponte ejuſmodi morbus ſolvitur, ſequamur, hoc eſt: in continua, placida & temperata diaphoreſi corpus & præcipue pars affecta ſervari debet. Deinde calor & æſtus nimius temperandus partesque & fibræ, dolore tenſæ & rigidæ, mollientibus relaxandæ ſunt, & ſufficiens ac temperatum humidum, quo calor præternaturalis ſemper eget, concedendum eſt. Præterea alvus dura & tenſa ſi nullas dimittit feces, emolliente clyſtere ducenda eſt ipſumque tempus ſolutionis, quod omnium in curationibus morborum acutorum primum,

cum

cum patientia expectandum. Inter ea, quæ diaphoresin movent placidam, pulveres ex antimonio diaphoretico, præsertim quod ex regulo factum, lapidibus cancrorum, cornu cervi philosophice præparato, nitro & cinnabari confecti cum aqua carduibenedicti, ceraforum nigrorum, cinnamomi, acaciæ frequentius offerri debent. Solemus etiam hisce magno cum fructu interponere liquorem nostrum bezoardicum vel Bussii cum partibus duabus liquoris nostri anodynii vel spiritus nitri dulcis temperatum, cujus excellens vis est in promovenda diaphoresi. Commendamus quoque infusa ex herba veronicæ, cardui benedicti & floribus bellidis parata. Ad potum commendamus decoctum hordei cum passulis vel etiam citratum, item emulsiones ex decocto hordei & amygdalis præparatas. Abstinere vero interius oportet ab omnibus opiatibus, narcoticis & sopientibus, a sudoriferis calidioribus, quæ & febrem accendere, vigiliis augere & furorem movere possunt. Fugiendum quoque est externe nimis calidum regimen, neque parti affectæ emplastra, unguenta præsertim pinguia, aut linimenta spirituosæ, quæ rigidiores fibras efficiunt & dolores adaugent, multo minus saturnina in epithemate, quæ poros obstipant, lateri affecto adhibere oportet, sed inter topica decocta ex herbis & floribus emollientibus cum croco & lacte vesicæ bubulæ indita & dolentibus partibus adplicata præcipuam laudem ac commendationem merentur. Sacculum quoque ex herbis resolventibus & discutientibus, absinthio, carduo benedicto, floribus sambuci, chamomillæ vulgaris & Romanæ, baccis juniperi, femine anethi & carvi coctis cum vino vel aceto vini summe proficuum deprehendimus, ea tamen adhibita cautione, ne topica unquam nimis calide adhibeantur, utpote cum nimis calor exsiccet potius fibras & fluxiles partes incrasset, sed temperate calido fotu evaporatio & discussio humorum, quæ statim conceperunt, longe melius promovetur.



157

32 D
cum
mov
præ
corr
con
gror
lem
nost
ris n
exce
quo
bus
et un
emu
Abf
narc
quæ
pos
gim
ping
ciur
mat
fed i
cum
bus
rent
cuti
char
net
um
unq
lor e
pera

RARISSIMA, &c.
quæ diaphoresin
nio diaphoretico,
dibus cancorum,
nitro & cinnabari
, ceraforum ni
offerri debent. So
erponere liquorem
tibus duabus liquo
temperatum, cujus
esi, Commendamus
i benedicti & flori
mendamus deco
citratum, item
gdalis præparatas.
omnibus opiatis,
feris calidioribus,
& furorem movere
ne nimis calidum re
nguenta præsertim
igidiores fibras effi
aturnina in epithe
o adhibere oportet,
tibus emollientibus
& dolentibus parti
mendationem me
solventibus & dis
o, floribus sambuci,
juniperi, semine a
ini summe proficu
cautione, ne topica
ote cum nimius ca
incrasset, sed tem
o humorum, quæ
us promo;

